

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvvm Conscientiae. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

42. Ioannicivs vouens non ducere vxorem ad hoc deinde votum
relaxandum non indiget dispensatione Papæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

¶ ut recte Beccan. 2. 2. cap. 19. q. 3. num. 6.
 Vnde in casu necessitatis quiuis cōsanguinei,
 et si minus sancti, aut fortè peccatores, præfe-
 rendi sunt sanctioribus extraneis, tum in spi-
 ritualibus, tum in temporalibus, quia ex cha-
 ritate obligamur sanguine iunctis hoc ipso,
 quod nobis iuncti sint, succurrere: At vero
 sanctitas non inducit nobis hanc obligatio-
 nem. Ad secundum satis patet ex recens dictis;
 nam carnalis coniunctio non solùm obligat
 ad prouidendum sic coniunctis in temporali-
 bus, sed etiam in spiritualibus, ut pote magis
 necessarijs. Ergo obligat ad præferendum
 hos sic naturaliter coniunctos eis, qui solùm
 extrinsecè & in Spiritu coniuncti sunt, ut re-
 stet Suarez D. 9. de Charitate. sect. 4. num. 19.
 Aliud fortè est de Prælato respectu suorum
 subditorum Religiosorum, quem Coninck
 de Actib. supernat. Disp. 25 num. 152 & 171. pro-
 babiliter putat, teneri illis priùs prouidere,
 quam quibusvis consanguineis (excepto pa-
 rente) tam in temporali necessitate, quam in
 Spirituali, cum ipsis se totos Religioni tradi-
 derint, & loco parentis Religionem suscep-
 rint, & sub ea cura Religio eos receperit; vnde
 in responsione reflexè diximus, cæteris
 paribus.

XLII. Ioannicius Adolescens voulit non duce-
 re vxorem, cuius voti multò post tempore pœnitens
 ex certâ causâ Romæ petit impetratque dispensa-

E*s* tioq*ue*m

tionem in voto Castitatis. Quæritur. Vtrum hoc votum indigeat dispensatione Pape?

Videtur indigere. Ita Caietan. *de voto*, quia votum non nubendi est perpetuum, & reducitur ad Castitatem.

Resp. Non indigere dispensatione Papæ. Ita Barbos. *de potest. Episc.* p. 2. alleg. 37. n. 17. Sanch. *in sum. Tom. I. L. 4. cap. 40.* n. 66. Sa, p. votum. Dian. F. 3. Tr. II. Resol. 59. & plures apud hos. Ratio est, quia votum, cuius dispensationem Papa sibi reseruauit, non est, nisi perfectæ castitatis, ex communi DD. At qui votum, non ducere vxorem, quâ tale, nō est perfectæ Castitatis. Ergo eius dispensationem Papa sibi non reseruauit. *Dixi, quâ tale aliud enim esset, si hisce verbis quasi per accidens Ioannicius intendisset perfectam Castitatem vouere.*

Ad rationem Caietani dicimus, hoc votum non reduci ad Castitatem tanquam perfectam eius rationem participans, sed remotè tantum ad hanc disponens; unde cum tali voto fornicans à nullo Theol. censetur votum Castitatis violasse. Si tamen ex hypothesi votum prædictum non nubendi dispensatione Papæ indigeret, ea, quæ defacto est impetrata, valeret, quantumvis vi terminorum votum Castitatis sonet, quale, ut diximus, non est votum, non ducendi uxorem; nam qui dispensatio maiore, etiam in minore dispensare censetur. Bonac. D. 2. q. 2. p. 5. n. 15.

XLIII.